

obviae per idearum associationem aptas praebent imagines ad res spirituales describendas, idque potissimum orientalibus, ingeniosis, imaginatione abundantibus atque animo fervidis.

Nexu psychologico in S. Scriptura res novi testamenti cum rebus veteris testamenti conjunguntur, ob manifestam utriusque testamenti similitudinem ac typicam antiqui rationem. — Imaginem insolitam: *meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me* (Joan. 4, 34.) explicat cibus a discipulis Christo oblatus. — Ex ritu festi tabernaculorum, sub oculos cadente intelliguntur verba Christi Joan. 7, 37. *Si quis sitit, veniat ad me et bibat.* Tempore enim Christi mos erat, ut sacerdos die festo tabernaculorum aquam e fonte Siloë hauriret, eamque in atrio templi effunderet, choro verba Isaiae (12, 3.) cantante: »Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris«. Itaque Christus ritum illum, alioquin typicum ad se referens significat: quicumque veritatem ac gratiam sitiunt et eas ex fontibus salvatoris haurire cupiunt, ad ipsum ut veritatis atque gratiae fontem confugiant, ex ipso eas hauriant, idest in ipsum credant. — Nexu psychologico Dominus contraria associans laudibus templi annectit vaticinium de excidio templi, et associatione similium huic vaticinio conjungit aliud de mundi interitu.

b) Nexu psychologicus explicat, *cur auctor ab ordine logico vel chronologico recedat* vel eum interrumpat.

Matthaeus et Marcus ab avaritia Judae, in coena Bethaniensi manifestata occasionem nacti, immediate post coenam illam narratam referunt, Judam, pecuniae cupidum principes sacerdotum adisse, iisque operam suam in Christo perdendo pollicitum esse. Verum ex Luca et Joanne colligitur, illam Judae pactionem aliquot diebus post coenam factam esse. — Ea etiam, quae I. Cor. 7, 17—24. leguntur, nexu psychologico narrationis ordini inseruntur.

§ 34.

Nexus historicus et opticus.

1. — Nexu historicus factorum narratorum est aut *chronologicus* seu temporalis, aut *topicus* i. e. localis, aut *realis*. Nexu per excellentiam historicus est chronologicus; sicut enim prima conditio eventorum est tempus, ita etiam optimus ordo narrationis eorum est chronologicus.

Tempus autem distinguitur *absolutum* et *relativum*. Prius est annus et dies factorum, per aeram, regna vel quamcumque

aliam temporum rationem indicatus; posterius est ordo successionis factorum. Ordo autem narrationis chronologicus est *determinatus* et *indeterminatus*; prout eventorum tempus et intervalla diserte declarantur, aut sine tali declaratione concursus eventuum et ordo servantur atque indicantur.

Rarius praestat narrationes nexu et ordine potius topico quam chronologico disponere. Nexu autem realis, quamquam ad exactam ipsorum factorum explicationem minus utilis, tamen egregie juvat historiae difficilis atque implicatae conspectum et doctrinam factis probandam vel ex his colligendam. Nexu realis, ad doctrinam aliquam illustrandam vel demonstrandam compositus vocatur etiam *historico-dogmaticus*.

Nexu historicus ejusque species *cognoscuntur* ex aperta auctoris declaratione, ex designatione temporum vel locorum, ex adverbis ac particulis nexum indicantibus, et saepe ex narrationis natura.

2. — Notitiam nexu historici ad verum factorum ordinem cognoscendum *utilissimam* esse, patet. Nexu enim historico falso praesumpto ordo eventuum praeposterus statueretur, qui et fidem rerum narratarum imminueret, et ipsam eventuum naturam depravaret. Speciatim nexu chronologicus ad usum historicum, topicus ad geographicum, realis ad dogmaticum plurimum valet.

Regula. Cavendum est, ne ordo chronologicus in omni narratione historica et ubique adesse praesumatur, neque ordo topicus vel realis pro chronologico habeantur. Talis enim opinio falsa interpretem magnis difficultatibus atque erroribus implicaret.

Matthaeus plerumque ordinem realem in factis et sermonibus Domini referendis sequitur: res similes sine respectu temporis conjungit, dispares autem ejusdem temporis res disjungit. Quod qui sciunt, non queruntur de discrepantia inter eum et alios evangelistas e. g. Matth. 21, 1. sqq. et Joan. 12, 1. sqq. in tempore coenae Bethaniensis. — Lucas diligentius ordinem chronologicum servat, sed vel ipse ab eo interdum recedit. Ita 3, 1—20. actioni publicae Joannis Bapt. statim subjungit brevem relationem captivitatis ejus, quo fatum Joannis sanctitati contrarium et diversus praedicationis effectus: poenitentia populi et obstinatio tetrarchae clarius apparerent. — Similiter Act. 12, 1—24. liberatio Petri e carcere cum posteriore Agrippae morte ideo conjungitur, ut studium favoris popularis, injustitia in apostolos et poena crudelitatis inter se opponantur.

3. — *Nexu opticus*, quo eventus futuri propiores et remotiores in prospectu prophetico inter se conjunguntur, tantum in vaticiniis,

ut per se intelligitur, locum habet. Conjunctio vaticiniorum optica duplex est: *adjunctio* et *commixtio*; prior ex uno vaticinio in alterum sine ulla spatii temporis intermedii significatione transit, posterior ambo vaticinia inseparabiliter confundit.

Nexus opticus *cognoscitur* a) aliquando ex ipso textu, qui successionem vaticiniorum indicat, e. g. verbis: prius, postea, post multos dies etc. (Cf. Matth. 24, 14. 29. 34. Luc. 21, 12. 20. 25. 32.) b) E rerum praedictarum natura. c) Ex locis parallelis et ex traditione. d) Ex impletione prophetiae saltem partiali in historia.

Oportet autem nexum opticum bene intelligi, ne vaticinia conjuncta ad unum eventum perperam referantur, neve in singulis particulis eorum separandis atque enodandis labor et opera frustra consumatur.

E. g. interpres nexus optici gnarus nec confundit, nec per singulas partes disjungit vaticinia prophetarum, quae felicitatem captivitatis solutae et beatitudinem temporis Messiani optice conjungunt. (E. g. Is. c. 45.) — Similiter vaticinium Christi opticum de excidio urbis et interitu mundi (Matth. c. 24. et locis parall.) nec vi et artificio ad alterutrum eventum trahendum est, nec omnia et singula ejus verba inter duos eventus scrupulose sunt distribuenda.

§ 35.

Nexus proximus, propior et remotior, principalis et secundarius.

1. — Nexum proximum, propiorem et remotiorem nosse, idest scire, quaenam partes ejusdem propositionis, quaenam propositiones vicinae, et quaenam partes orationis remotae cohaereant, procul dubio interpreti necesse est. Nexus proximus et propior jam ex vocabulorum formis, grammaticae regulis et ex colloca-tione verborum haud difficulter cognoscitur. Minus facile interdum reperitur nexus remotior partium dissitarum. Hac in re quoad S. Scripturam sequentia observanda:

1. Quae nunc adest, textus sacri *in capita, pericopas et versus divisio non est criterium nexus*. Illa enim demum medio aevo et postea inducta, nec ab auctoribus sacris originem trahit, nec semper rei convenit; nam saepe conjungit quae separanda et disjungit quae logice vel historice conjuncta sunt. Idem dicendum de inscriptionibus et summariis capitum.

2. *Interpunctio* saltem locorum dogmaticorum, quam Ecclesiae Patres et antiqui interpretes secuti sunt et tradiderunt, *sine*

urgentiore causa relinquenda non est. Codices enim et traditio scholarum a primaeva ecclesia descendentes, quibus antiqui usi sunt, certe majorem fidem merentur, quam vanae conjecturae.

3. *Partes orationis remotas cohaerere indicant* a) aperta orationis exordia et clausulae, aut vero particulae et formulae continuationem ejusdem orationis vel initium novae significantes. E. g. Matth. 5, 1. coll. 8, 1. b) Unitas facti, consilii, loci, temporis et personarum, quae loquentes inducuntur aut ad quas vel de quibus fit sermo. Hoc argumento probare solent orationem montanam apud Matthaeum (cc. 5—7.), vel increpationem pharisaeorum et legis peritorum (Matth. c. 23.), vel vaticinium de excidio urbis et mundi (Matth. c. 24.) integros esse sermones plerumque simul textos, minime autem esse particulas contextas sermonum diverso tempore habitorum. Vide insuper I. Cor. 7, 1. coll. c. 8. et c. 9. c) Saepe argumentum et nexus logicus docent, partes ad eandem orationem pertinere. Ubi enim sermo non interruptus currit ubi altera pars alteram spectat et postulat, ubi parte aliqua subtracta oratio manifeste mutila fieret: ibi non est dubium, quin partes ad eandem orationem quamquam nexu remoto pertineant.

Notandum adhuc est, in nonnullis libris sacris, praecipue Ant. Test. sapientialibus nexum saltem remotum deesse, utpote qui rem suam per sententias dissolutas proponant.

2. — Nexus principalis, qui inter partes essentielles ac necessarias, et secundarius, qui inter partes accidentales, item inter essentielles et accidentales intercedit, cognoscuntur et distinguuntur *argumento orationis et consilio auctoris*. Saepe voces ac locutiones, et filum narrationis interruptum digressionem indicant; praeterea in sermone ad leges logicas exacto partes essentielles ab accidentalibus, thesis principalis et ejus expositio ac probatio a digressionibus et ornamentis evidenter distinguuntur. Sed imprimis consilium auctoris essentiam sermonis manifestat. Quidquid ad finem sermonis pertinet et ad eum assequendum necessarium est, id essenziale merito judicatur.

Nexus principalis et secundarius observandi sunt, *ne partes sermonis essentielles cum accidentalibus*, explicationis vel ornatus gratia adjectis, *confundantur*. Hic error maxime paraboliarum evangelicarum interpretibus imminet, qui ornamenta narrationis facile in nexum principalem trahunt, et sensum translatum, quem non habent, iis tribuunt.

§ 36.

Argumentum orationis.

1. — Per argumentum orationis intelligitur illa res, quam auctor in sermone suo vel aliqua ejus parte tractat. Duae autem sunt partes argumenti: *propositio seu thesis* principalis, quam auctor oratione exponit, illustrat vel demonstrat, et *materia*, seu relata, asserta et placita, quae auctor de thesi et circa eam dicit. Brevis conspectus argumenti vocatur *summarius* vel *analysis*.

In libris profanis tot sunt argumenti, quot rerum, quae tractantur, species. In Bibliis autem argumentum est *historicum, doctrinale* et *propheticum*, prout facta, doctrinas dogmaticas vel morales, aut vaticinia proponit.

Thesis principalis aliquando expresse enuntiatur, uti e. g. Matth. 5, 17. Joan. 20, 31. Rom. 1, 16.; plerumque autem ex materia ipsa colligitur. Materia autem libri lectione frequenti et attenta cognoscitur. Loci idem argumentum tractantes vocantur *paralleli*, de quibus infra uberius disputabitur.

2. — *Regula. Omnis sensus argumento repugnans rejiciendus est.*

Itaque interpretatio protestantica quorundam locorum Paulinorum (Rom. et Galat.), operum bonorum necessitatem negans, argumento earundem epistolarum Paulinarum et aliarum refutatur. Paulus enim sub fide non actum credendi mere theoreticum, sed fidem vivam, per charitatem operantem, sub operibus autem non actiones moraliter honestas, sed opera caeremonialia legis Mosaicae (circumcisionem, leges convivales etc.) intelligit, idemque revera ac S. Jacobus in epistola sua docet. — I. Cor. 9, 20—22. autem S. Paulus scribit: *Factus sum Judaeis tamquam Judaeos, ut Judaeus lucrarer; iis, qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (quum ipse non essem sub lege); . . . iis, qui sine lege erant, tamquam sine lege essem (quum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi) . . . ut omnes facerem salvos.* Textus iste loquitur de legibus caeremonialibus, quas Paulus, ut per se indifferentes, observavit aut neglexit, prout Judaeos aut gentiles lucrari intendit; sed argumentum (secunda parenthesis) excludit sensum, quasi Paulus se erroribus et peccatis accommodaverit. Eadem secunda parenthesis (una cum innumeris aliis locis) reprobatur illam prioris parenthesis (item locorum Rom. 6, 14. 15. I. Tim. 1, 9.) interpretationem, quod homo Christianus a nulla lege dependeat.

3. — Argumentum totius orationis *magnam lucem partibus affert*, et argumentum unius partis aliarum sensum determinat. Specialiter:

a) Argumentum *manifestat sensum vocum ac phrasium ambiguarum quodam loco expressum.*

Matth. 6, 1. *Attendite ne justitiam dicitiositatem vestram faciatis coram hominibus* vox justitiae ut ex subsequenti enumeratione apparet, significat virtutem vel opera pietatis atque charitatis: eleemosynam, orationem, jejunium non ob homines sed ob Deum facienda. — Deinde *λόγος* Joan. 1, 1. non potest significare ideam abstractam, quia sensibilia de eo praedicantur; dicitur enim in mundum venisse, caro factus esse. — Argumentum docet per exaltationem Christi Joan. 3, 14. crucifixionem, Act. 2, 33. 5, 31. autem exaltationem caelestem esse intelligendam. — In dicto apostoli: *Omne quod non est ex fide, peccatum est* (Rom. 14, 23.) testibus praecedentibus fides non significat assensum revelationi praestitum, sed conscientiam, persuasionem moralem, quamvis forte objective falsam; itaque inde concludere non licet, virtutes gentilium esse vitia.

b) Argumentum docet, *utrum partes orationis sensu proprio an translato accipiendae sint.* Si enim pars aliqua sensu proprio accepta ceteris non congruit, immo absurdum sensum praebet, sane sensus translatus ei tribuendus est.

E. g. in sententiis: *vos estis lux mundi, vos estis sal terrae* (Matth. 5, 13. 14.) subjectum prohibet, quominus praedicato alia quam translata significatio detur. — In verbis: *beati pauperes spiritu* (Matth. 5, 3.) sensum subjecti attributum, in illis autem: *caro mea vere ἀληθῶς, est cibus* sensum praedicati adverbium definit.

c) Ubi sensus translatus adest, ex argumento plerumque colligitur, *quaenam ex pluribus significationibus tropicis sit acceptanda.*

Ita ex argumento intelligitur oxymoron sequens: *Qui invenit animam suam, perdet illam etc.* (Matth. 10, 39. cf. Luc. 9, 24. Joan. 12, 25.), ubi vox animae *ψυχή* modo vitam terrenam, modo aeternam significat. — *Fermentum* Matth. 13, 33. argumento interpretante est imago vis penetrantis, conservantis et emendantis; Matth. 16, 6. 11. I. Cor. 5, 6. 7. Gal. 5, 9. autem est imago corruptionis morum. — I. Cor. 3, 2. et Hebr. 5, 12. *lac* est imago primorum doctrinae Christianae elementorum, I. Petri 2, 2. imago purae, dulcis salutarisque doctrinae, ut argumentum demonstrat.

d) Argumentum docet, *quo sensu sententiae ac proverbia, quae saepe variis rebus applicari possunt, quodam certo loco accipiendae sint.*

E. g. proverbium in evangeliiis frequens: *Non est discipulus super magistrum* pro argumento varium habet sensum; scilicet non est discipulus scientia et virtute magistro praestantior (Luc. 6, 40.), vel non habet discipulus meliorem sortem magistro (Matth. 10, 24. Joan. 15, 20.), vel quod non dedecet magistrum, eo minus dedeceat discipulum (Joan. 13, 16.). — Sententia: *qui habet dabitur ei, qui autem non habet, et quod habet auferetur ab eo* — ratione habita argumenti significat: qui ad doctrinam Christi recipiendam dispositus est, vel qui ei sedulum impendit studium, illius scientia augebitur; qui autem doctrinam Christi negligit, etiam scientiam ejus jam habitam amittet (Matth. 13, 12. Marc. 4, 25.); — aut vero qui gratis acceptis recte utitur, plures ac majores impetrabit, qui autem iis non utitur, etiam gratis, quas habuit, privabitur (Matth. 25, 29. Luc. 19, 26.). — *Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*, modo significat: quo diligentius doctrinam meam scrutati eritis, eo majorem ejus scientiam consequemini (Marc. 4, 24.); modo autem: quaecunque proximis feceritis, Deus iudex justus vobis retribuet (Matth. 7, 2. Luc. 6, 38.). — Similiter alium alio loco sensum habent: *multi sunt vocati, pauci vero electi* (Matth. 20, 16. et 22, 14.), item *primi erunt novissimi et novissimi primi* (Matth. 19, 30. 20, 16. et Luc. 13, 30.).

e) Ex argumento *cognoscuntur limites dictorum*, scilicet latiusne ea an angustius valeant, utrum sensus extendendus sit an restringendus, utrum dicta absolute an relative, ad verbumne an vero benignius sint accipienda.

E. g. Matth. 19, 21. responsum Christi: *si vis perfectus esse, vade vende quae habes etc.* non praeceptum sed consilium esse, ex antecedentibus apparet. — Joan. 7, 8. verbis Christi: *ego non ascendo non absolute omnem, sed ad mentem interrogantium solemnem tantum in urbem ingressum negari, indicant v. 3. 4. et 10.* — Act. 2, 5. dictum: *ex omni natione* explicatur inferius v. 9. sqq. enumeratione singularum nationum.

f) Saepe argumentum manifestat *id, quod auctor reticuit*, vel auditori lectorique supplendum reliquit.

E. g. Matth. 6, 24. argumentum docet, per duos dominos intelligendos esse contraria praecipientes. — Lucae 13, 9. ad verba: *siquidem fecerit fructum* addendum est: bene, maneat. — Rom. 15, 3. legimus: *Christus non sibi placuit* (i. e. non suam gloriam quaesivit), *sed* (supple: Dei gloriam) *sicut scriptum est etc.* — Similiter Rom. 5, 18. coll. 12—19.

§ 37.

Loci paralleli.

Loci paralleli sunt loci Scripturarum dissiti, qui de eadem re agunt. Quum in S. Scriptura multi sint libri eandem rem tractantes (libri paralleli) — e. g. libri Regum, Paralipomenon et Prophetarum, I. et II. Machabaeorum, evangelia, Actus et epistolae; — deinde quum iidem etiam libri sacri frequenter eandem materiam repetere soleant; quumque librorum sacrorum (praesertim Novi Test.) corpus non sit consilio humano et ordine compositum sed singuli libri data occasione ac raptim conscripti: haud mirandum, multos in iis inveniri locos parallelos.

Est autem parallelismus *multifarius*.

a) *Ratione habita fontis est ejusdem libri aut diversorum librorum et auctorum*. Parallelismus diversorum auctorum proprie in Bibliis non est, quia omnium librorum sacrorum unus idemque est auctor principalis Spiritus Sanctus.¹

b) *Ratione objecti* parallelismus est tantum *realis* vel etiam *verbalis*, prout loci de eadem re aliis — pluribus vel paucioribus vel diversis — verbis, aut iisdem vel fere iisdem verbis agunt. (Si voces vel phrases similes sunt, sed res aliae, tunc parallelismus est mere verbalis, qui parallelismus dici non meretur.) E. g. in narratione tentationis Domini Matth. 4, 1—11. et Marc. 1, 12. 13. *realis*, Matth. 4, 1—11. et Luc. 4, 1—13. *verbalis* est parallelismus. Peculiaris parallelismi *realis* species in Bibliis est *parallelismus membrorum seu poeticus*.

c) *Intuitu materiae* distinguuntur parallelismus *historicus* et *doctrinalis*. *Historicus* est, si de eadem re eadem occasione et eodem nexu historico sermo est; *doctrinalis* est, si eadem narratio vel doctrina utroque loco alia occasione et diverso nexu historico proponitur. Parallelismus *historicus* frequentissimus est; parallelismi *doctrinalis* exemplum est Matth. 6, 9—13. et Luc. 11, 1—4.

d) *Intuitu ambitus* loci paralleli sunt *adaequati* et *inadaequati*, prout ex toto vel tantum ex parte congruunt.

e) *Ratione momenti* loci paralleli sunt *insignes (classici)* et *secundarii*, prout materiam communem ex professo et uberius tra-

¹ Pulchre dicit S. Bonaventura: »Tota Scriptura est quasi una cithara. Et sicut chorda per se non facit harmoniam, sed cum aliis: similiter unus locus Scripturae dependet ab alio, imo unum locum respiciunt mille loci.« In Hexaem. serm. 19.

ctant, aut de ea tantum breviter et obiter agunt. Locus insignis, ad quem alii loci respiciunt, vocatur *locus fundamentalis*. Tales sunt e. g. Gen. 3, 4. sqq. pro II. Cor. 11, 3. et Isai. 53, 7. pro Joan. 1, 29.

A locis parallelis distinguendi sunt *loci similes vel analogi*, qui de rebus similibus, aliquando etiam verbis similibus, sed non de iisdem rebus agunt. Tales loci similes sunt narrationes eventuum similium, sed alia occasione et alio tempore, — non nunquam etiam coram aliis testibus et inter alias circumstantias — factorum; e. g. narratio de uxore Abrahae bis ablata, vel de duabus multiplicationibus panum etc.

§ 38.

Inventio locorum parallelorum.

Loci paralleli reperiuntur.

1. Per *concordantias* biblicas, quae sunt *verbales et reales*. Concordantiae verbales ordine litterarum enumerant omnes S. Scripturae voces et phrases, locosque indicant et citant, ubi illae inveniuntur. Concordantiae reales pariter ordine litterarum dispositae recensent ideas, personas, res, actiones etc. de quibus in Bibliis sermo est, earumque locos designant, nonnunquam etiam citant. Utilitate in scientias biblicas realibus longe praestant concordantiae verbales; concordantiae autem reales oratoribus et dogmaticis magnam utilitatem praebent.

Adsunt *concordantiae verbales* ad textum Hebraicum, Graecum, Latinum et textum aliarum etiam versionum.

A) Primus concordantias verbales, etquidem *ad Vulgatam* composuit *Hugo a S. Caro O. Pr.* († 1263), cujus opus a sodalibus ordinis auctum atque emendatum et multas editiones nactum, fundamentum est omnium quae postea exstiterunt concordantiarum. (Editio princeps Bononiae, 1479.) Post Hugonem celebriores concordantias ad Vulgatam ediderunt:

Robert. Stephanus (Étienne), Paris. 1555., qui textum antea non nisi in capita et pericopas divisum in versus numeris designatos divisit, singulisque locis in concordantiis suis numerum versuum apposuit.

Franc. Lucas Brugensis, Antverp., 1617. et saepius, qui concordantias editioni Vulgatae Clementinae adaptavit. Hoc opus omnes concordantiae recentiores sequuntur.

Hub. Phalesius, concordantias Hugonis et Lucae emendatas edidit Antverp., 1642. Lugduni, 1677. Venet., 1768. etc.

Recentiores sunt:

Fr. Schmid, Viennae, 1825.

F. P. Dutripon, Concord. Paris, 1838. Ed. VI. Bar le Duc, 1875.

De Raze, Lachaud et Flandrin, Concordantia manual. Paris, 1889.

Opus hoc refecerunt Peultier et alii soc. Jesu presb. 1898.

V. Cornaert, Concordantiae, Ed. II. Bruges, 1897.

B) Concordantias *ad textum Hebraicum* primus composuit *R. Isaac Nathan* 1437—45. typis vulgatas Venetiis, 1523. dein Basil. 1556. 1581. et saepius; huic operi posteriores concordantiae Hebraicae innituntur. Eum secutus est

Marius de Calasio, Concordantiae Hebr. Romae, 1621. et Londini, 1747—49.

Joan. Buxtorf sen. Concordantiae Bibliorum Hebraicae (accesserunt Chaldaicae). Basil., 1632. et Berolini, 1862.

Jul. Fürst et F. Delitzsch, Librorum s. V. T. concordantiae Hebr. et Chald. Lipsiae, 1840.

Sal. Mandelkern, Concordantiae Vet. Test. Hebraicae atque Chaldaicae. Lipsiae, 1896—1900. Etiam editio minor exsistit (Lips. 1900.).

B. Davidson, A concordance of the Hebrew and Chaldee scriptures. London, 1876.

C) Concordantiae *ad versionem LXX.* interpretum:

Conr. Kircher, Francof. 1607.

Abr. Tromm, Concordantiae Graecae vers. LXX. interpr. Amstelod. 1718. Addit etiam vocabula Hebraica et reliquarum interpretationum Graecarum fragmenta.

E. Hatch and H. A. Redpath, A concordance to the LXX. and the other Greek vers. of the Old Test. Oxford, 1892—1900.

D) Concordantiae *ad textum Graecum Novi Test.*

Xist. Betulejus (Birk), Novi Test. concord. Graecae. Basil. 1546.

Henr. Stephanus, Paris, 1594.

Erasm. Schmid, Novi Test. Graeci tamieion. Wittenb. 1638. Lipsiae, 1853. Idem edidit Sam. Cyprianus. Gothae, 1717.

C. H. Bruder, Lipsiae, 1842. 1867. ed. V. Gott. 1900.

O. Schmoller, Tamieion od. Handkonkordanz z. griech. N. Test. Stuttgart, 1869. et 1890.

Moulton and Geden, Conc. to the Greek Test. London, 1897.

Concordantiae reales — praeter lexica biblica infra enumeranda — sunt:

G. Büchner, Biblische Real- u. Verbal-Concordanzien. Jena, 1746. Edit. XXII. Braunsch., 1896. Protestans.